

Ad eam sententiam cum reliquis causis haec quoque ratio eos deduxit: quod Diviciacum atque Haeduos finibus Bellovacorum adpropinquare cognoverant. His persuaderi ut diutius morarentur neque suis auxilium ferrent non poterat.

Ea re constituta, secunda vigilia magno cum strepitu ac tumultu castris egressi fecerunt ut consimilis fugae profectio videretur. Hac re statim per speculatores cognita Caesar insidias veritus exercitum equitatumque castris continuit.

Prima luce, confirmata re ab exploratoribus, omnem equitatum, ut novissimum agmen moraretur, praemisit. His Q. Pedium et L. Aurunculeium Cottam legatos praefecit; T. Labienum legatum cum legionibus tribus subsequi iussit.